

126. *sect.* 5. Maurus *tom.* 5. *tract.* 4. *q.* 45. Rhodès *tom.* 1. *disp.* 2. *de Angel.* *q.* 3. *sect.* 3. Arriaga *disp.* 53. *sect.* 3. Ovidius *lib.* 12. *p.* 1. & 12. Vazquez *disp.* 216. *cap.* 4. Tannerus *p.* 2. *disp.* 6. *q.* 6. *dub.* 4. *assert.* 3. Bellarm. *lib.* 5. *de justific.* *cap.* 15.

46. Ex aliis D. Bonaventura *in* 2. *dist.* 11. *art.* 2. *q.* 2. & *in* 3. *dist.* 18. *art.* 7. *q.* 2. & *in* 4. *dist.* 41. *q.* 3. Gaudentius *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 4. *q.* 7. & 8. Alens. 3. *p.* 9. 17. Bassão *verb.* *Charitas*, *num.* 4. Boverius *examin.* 2.  *cens.* 18. *error* 10. Morandus *tract.* 4. *q.* 33. Pasqualig. *disp.* 72. *sect.* 5. La Moneda *tom.* 2. *q.* 62. *art.* 8. Baudunius *tom.* 1. *q.* 58. *art.* *unic.*

47. QUÆST. 3. An, & quomodo Spiritus possint igne corporeo torqueri? De quo, *distinctione* 47. *quæst.* 1.

48. QUÆST. 4. An reproborum futura poena sint aeterna? De quo, *tom.* 4. *p.* 1. *dist.* 15. *q.* 1. & 2.

49. QUÆST. 5. An prædestinatus possit damnari; & è contrà damnatus prædestinari? De quo, *tom.* 1. *dist.* 40. *q.* 5.

50. QUÆST. 6. An damnati cognoscant quæ in hoc mundo aguntur? De quo, *hic* *q.* 2.

51. QUÆST. 7. An beati tristari, aut compati queant de reproborum poenis? De quo, *hic* *q.* 2.



EPI-

# EPILOGUS SENTENTIARUM LIBRI MAGISTRI PETRI LOMBARDI, Episcopi Parisiensis.

1. HIS tandem aureis verbis suum foeliciter absolvit pensum Magister, quatuorque Sententiarum Libris colophonem imponit. Sic, quæ hætenus scripserat, ad calcem deducit. *Hæc de pedibus sedentis super solum excelsum, quos Seraphim duabus alis velabant, scriptori, etsi non auditori, commemorasse sufficiat: qui à facie exorsus sedentis, per media ad pedes usque, vi à duce, pervenit.* Super quæ brevem, sed perpolitam Expositionem elucubravit Seraphicus Doctor, quam paucis eliminatis, adjectisque aliis, hæc usuræ communi donamus.

2. Ait ergo Magister: *Hæc de pedibus sedentis super solum excelsum, &c.* In cujus perfectum, plenumque captum tria sub limâ, & examine veniunt. Primò, quid sit *Sedes*. Secundò, *Solum*. Tertiò tandem, quid nomine *via* intelligatur?

3. Primò dicimus, *Sedem* illam esse Deum, sive Christum Dominum, qui requiescit in summâ, perennique pace, quæ omnem exuperat sensum, & ipsâ comite, cuncta æterno foedere copulantur in Deum.

4. Secundò dicimus, *Solum excelsum* esse Sacram Scripturam propter sui altitudinem, & eminentiam: Sive

animam sanctam, quæ etiam dicitur sedes sapientiæ: Aut Beatissimam Immaculatamque Virginem Matrem, in quam jugiter descendit Dominus, illamque elegit in abitationem sibi: Vel naturam ipsam à Verbo divino assumptam, in quâ Dominus posuit tabernaculum suum. *Facies* autem ejus est divinitatis Majestas, quam facie ad faciem videbimus, dum simus cum eo in Monte Sancto ejus.

5. Tertiò dicimus, *Viam*, sive *pedes ejus* esse finalia opera, quæ modò sunt velata; quemadmodum illa, quæ ad finem mundi, judiciumque extremum pertinent. Media verò, inter summam magnitudinem Dei, nostramque remunerationem futuram, sunt opera creationis, & redemptionis, quæ nunc, & postmodum summoperè elucet.

6. Exorditur ergò Magister à facie Majestatis Dei in Primo Libro, & advolat per media in Secundo, & Tertio; & tandem sistit in pedibus, sive in imis in Quarto, & ultimo Libro. Hi etenim pedes modò sunt tecti, & velati, sed tunc omnibus patefient, dum facies Domini revelabitur.

7. *Facies* autem Domini referabitur, quando ita erit conspicuus, ut intueatur à singulis nobis in singulis nobis; videatur ab altero in altero; prospiciatur in semetipso; agnoscat in creaturis omnibus; & lustretur per corpora in omni corpore, ubique fuerint spiritualis corporis oculi, acie perveniente directi. Tunc apparebit Christus Dominus vita nostra, & nos apparebimus cum ipso in gloriâ. Hactenus de Expositione Divi Bonaventuræ super Libri Sententiarum epilogum.

IN-

# I N D E X

## DISTINCTIONUM,

QUÆ IN HOC QUINTO  
Sententiarum Libro  
continentur.

Numerus paginam indicat.

- D**ISTINCTIO 31. De bonis Matrimonii. Pag. 1.
- DIST. 32. De solutione carnalis debiti. pag. 13.
- DIST. 33. De diversis conjugii legibus. pag. 25.
- DIST. 34. De personis legitimis. pag. 38.
- DIST. 35. De divortio ex adulterio sequuto. pag. 49.
- DIST. 36. De impedimento conditionis. pag. 59.
- DIST. 37. De impedimento ordinis. pag. 72.
- DIST. 38. De impedimento voti. pag. 84.
- DIST. 39. De impedimento disparitatis cultus. pag. 98.
- DIST. 40. De impedimento cognationis primò carnalis. pag. 111.
- DIST. 41. De gradibus affinitatis. pag. 123.
- DIST.

- DIST. 42. De impedimento spiritualis  
cognitionis. pag. 138.
- DIST. 43. De resurrectione universali,  
& primò de resurrectionis ve-  
ritate. pag. 151.
- DIST. 44. De qualitate resurgentium. pag. 164.
- DIST. 45. De statu, & conditione bona-  
rum Animarum post mortem. pag. 180.
- DIST. 46. De statu, & conditione malo-  
rum post mortem. pag. 193.
- DIST. 47. De extremo iudicii modo. pag. 207.
- DIST. 48. De conditione, & statu bono-  
rum post iudicium. pag. 220.
- DIST. 49. De differentia mansionum in  
Cælo & Inferno. pag. 233.
- DIST. 50. De statu reproborum. pag. 249.
- Epilogus Libri Sententiarum  
Magister. pag. 259.

R. P. F.

**ANTONII**

**CASTEL,**

**E MINORUM ORDINE**

**SANCTI FRANCISCI**

**REGULARIS OBSERVANTIÆ**

Provinciae Aragoniæ Lectoris Jubilati,  
Cæsar-Augustanæ Universitatis Docto-  
ris, & Conventûs Sancti Francisci  
Civitatis Jaccensis  
Guardiani:

**PARERGON**

**DE SACROSANCTO**

**OE CUMENICO**

AC GENERALI TRIDENTINO CONCILIO  
impigrè ac studiosè digestum, ut ocyùs & aptiùs  
quæstiones universim in ipsum excitari valeant,  
pro litterariis exercitiis ex concursu  
promovendis.

# PARÆNESIS AD LECTOREM.

Constans est innumera ferè Quæstionum copia, quas supra Magistri litteram hæcenus excitavimus. Hinc tot iteratæ plurium importunæ preces emanarunt, ut in Tridentinum, eadem methodo, dubia, quæstionesque moveremus, ut nihil agitari solitum remaneret. Propterea hanc Tridentinæ Synodi brevem Summam (quam spero valdè utilem futuram) impensè elaboravi, multiplici apposita Quæstionum diversitate. Nec omittendum putavi, quæstionibus propositis Sessiones, Capita, & Canones ab ipsis subillatos distinctè præponere, cum materiarum omnium explicatione, ut scopus non deficeret, in quem quæsitæ collimarent, ac Studiosi perbrevis in omnibus generatim instruerentur. Hujusce Operis ratio aliquam errorum à tanto Concilio damnatorum, unà cum suis Affectis seriem texere, vel tractatum adhibere, jure optimo expetebat, ni grandis Operis moles, ad quam necessariò excreveret, retardaret. Spero tamen, Deo auspice, id assequuturum, ut singulari Tomo, affatim hanc operosam materiam Tibi faciam communem. Sat pro nunc hoc Parergon, vel appendixem pro currentibus in studiosâ arenâ, & scholastico pulvere, Tibi lubenter detulisse.

# SYNOPSIS TOTIUS OPERIS.

**S**acrofanctorum OEcumenicum ac Generale Tridentinum Concilium toti Universo notissimum, sub Paulo Tertio Pontifice Maximo, omine læto, auspicioque fausto, ingenti totius Christiani Orbis plausu, & exultatione celebrari cœpit apud Tridentum præexcelsam Italiae Urbem, in Coenomanorum Regione ad Tyroli Comitatum, cunctorum Generalium ultimum, die 13. Mensis Decembris, anno Domini 1545. Postmodum per Julium Tertium etiam Orbis Moderatorem protractum, & restitutum: Postremò aliquandò intermissum, distractum variè, atque divulgum, sub Pio Quarto singulari Dei Omnipotentis ope, die 4. Decembris, anno 1563. exitu auspiciatissimo, & incredibili omnimoda laudis præconio expletum, & commendatum.

Hac etenim Tridentina Synodus cuncta sua Canonica Acta, quinque & viginti perbellè exambit Sessionibus, hoc reverà lepidò fancitis ordine. Primò, sub Paulo Tertio decem celebrarunt Patres Concilii Sessiones. Secundò, ope & subsidio freti Sanctissimi Domini nostri Julii Papæ Tertii, sub illiusque optatissimo regimine, sex duntaxat confecere. Tertio tandem, Pius Quartus foeliciter Concilium perfecit, ac ultimam potentia manum adhibuit, novem super sexdecim denuò adjectis Sessionibus, quæ numerum vigesimum quintum amussim absolvunt.

Super his modò Sessionibus, animum parùm agitare intendimus, & genuinum propriumque earum enucleare sensum duximus necessarium, ut faciliùs postmodum ex ipsis quæstiones aptiores in legentium luxum, & utilitatem exiscerare possimus.

SES-

## SESSIONES SUB PAULO TERTIO PONTIFICE MAXIMO

CELEBRATÆ RECENSENTUR.

### SESSIO PRIMA.

**P**RIMA Sacrosancti Concilii Tridentini Sessio, dextrâ Dei Omnipotentis afflante, fausto principio celebrata extat apud Tridentinum sub Paulo Tertio, die 13. mensis Decembris, anno 1545. quæ solum *Decretum de inchoando Concilio* exambit.

### SESSIO SECUNDA.

**S**ECUNDA etiam apud Tridentinam Urbem peracta invenitur Sessio sub die 7. mensis Januarii, anno 1546. quæ *de modo vivendi, atque in Concilio servandis* decretum complectitur.

### SESSIO TERTIA.

**T**ERTIA ibidem à Patribus Concilii celebrata sub die 4. mensis Februarii ejusden anni 1546. comprehendit *Decretum de Symbolo fidei*, totidem verbis absolutum, quibus in Ecclesiis omnibus lectatur.

### SESSIO QUARTA.

**Q**UARTA, sub die 8. mensis Aprilis habita, anno 1546. duplex proponit decretum. Alterum *de Canonicis Scripturis*, ne deinceps quis hasitare valeat de veritate, doctrinâ, & librorum numero: Alterum *de Editione, & usu Sacrorum librorum*. Ubi de Veteri ac Vulgatâ editione, Authoribus librorum, eorumque Impressoribus multa notatu digna congerit.

### SESSIO QUINTA.

**Q**UINTA Sessio die 17. mensis Junii, anno 1546. absoluta, continet decretum *de Peccato Originali*, quò expresse Sancta Synodus decernit, Adâ pravaricationem non sibi soli, verum & ejus